Nr. 1491.

# CURRENDA IV.

## A. D. 1874.

---

N. 40/pr.

Communicamus cum Venereabili Clero dioecesano Epistolam encyclicam Summi Pontificis Pii IX. ad P. T. Cardinales, Archiepiscopos Episcopos, Imperii Austriaci datas ex occasione legum Ecclesiam attinentium, quarum argumentum in utraque Curia Comitiorum Imperii Vindobonae hisce diebus tractatur.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

# PII

DIVINA PROVIDENTIA

# PAPAE IX.

## EPISTOLA ENCYCLICA

AD CARDINALES, ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS IMPERII AUSTRIACI.

---

*Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus et Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Imperii Austriaci.*

**PIUS PP. IX.**

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Vix dum a Nobis catholico orbi denunciata fuerat per litteras data die 24. Novembris, anno superiori, persecutio immanis contra Ecclesiam Dei, in Borussia et Helvetia praesertim, excitata; quum nova moerori Nostro accessit sollicitudo ex allatis nunciis de aliis injuriis impendentibus eidem Ecclesiae, quae Sponso Divino similis effecta, jam et ipsa conqueri merito potest ea prophetica voce: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (1). Quibus injuriis eo gravius angimur quod a Gubernio irrogentur Austriacae Nationis, quae jampridem maximis Christianae reipublicae temporibus huic Sedi Apostolicae conjunctissima pro catholica fide strenue decertavit.

Equidem jam aliquot ab hinc annis quaedam in isto Imperio latae sunt leges et ordinationes sanctissimis Ecclesiae juribus et solemnibus pactis conventis plane adversae,

(1) Psalm. 68, 27.

quas in Nostra allocutione ad Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales habita die 22. Junii anno 1868 condemnare et declarare pro officii Nostri munere debuimus. Nunc vero puplicis Imperii Comitiis expendendae et approbandae proponuntur novae leges, quae eo manifeste spectant, ut catholica Ecclesia in perniciosissimam servitutem sub arbitrio civilis auctoritatis, contra divinam Jesu Christi Domini Nostri institutionem, omnino redigatur.

Humani enim generis Creator et Redemptor Ecclesiam fundavit tanquam visibile suum in terris regnum, non modo supernaturali charismate infallibilis magisterii ad saeram doctrinam tradendam, et sanctissimi sacerdotii ad divinum cultum animarumque sanctificationem sacrificio et sacramentis promovendam, verum etiam propria et plena regiminis potestate instructum ad ferendas leges, ad judicia exercenda, ad salubrem coercitionem adhibendam in rebus omnibus quae ad propriam finem regni Dei in terris pertineant.

Quoniam vero supernaturalis haec regiminis ecclesiastici potestas, ex ipsa Jesu Christi institutione, diversa prorsus est atque independens ab imperio politico: idcirco ipsum regnum Dei in terris regnum est societatis perfectae, quod continetur et gubernatur suis legibus, suis juribus, suis praepositis, qui pervigilant quasi rationem pro animabus reddituri non civilis societatis rectoribus, sed principi pastorum Jesu Christo, a quo dati sunt pastores et doctores nulli terrenae potestati in obeundo ministerio salutis obnoxii. (1) Quare sicut ad sacros Antistites munus regendi, ita ad omnes fideles, monente Apostolo, officium pertinet eisdem obediendi et subjacendi; et proinde etiam catholicis sanctissimum jus est, ne in hoc officio divinitus injuncto sequendi doctrinam, disciplinam ac leges Ecclesiae a civili gubernio impediantur.

Jam vero ipsi Nobiscum probe intelligitis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, quam gravis violatio hujus divinae constitutionis Ecclesiae, quam intolerabilis subversio jurium Apostolicae Sedis, sacrorum Antistitum, ipsiusque populi catholici in earum legum rogatione, de quibus apud Austriaca Comitia nunc agitur, contineatur et palam fungitur.

Nam secundum easdem leges Ecclesia Jesu Christi in omnibus fere rationibus et actionibus, quae ad regimen fidelium spectant, supremo civilis auctoritatis imperio prorsus obnoxia et subjecta existimatur atque habetur; idque in ea *Motivorum* expositione, quae vim et sensum propositarum legum explicat, aperte veluti principii loco statuitur. Hinc etiam declaratur diserte, Gubernii civilis esse ex suprema sua potestate leges ferre quemadmodum de civilibus, ita etiam de ecclesiasticis rebus, utpote quod Ecclesiae advigilare et dominari debeat non secus ac aliis quibuscumque civium societatibus privatis mereque humanis intra Imperii fines existentibus.

Itaque civile Gubernium sibi arrogat tum judicium ac proinde magisterium de constitutione et juribus ecclesiae catholicae, tum supremum ejusdem regimen, quod partim per se ipsum suis legibus suaque actione, partim per ecclesiasticos viros sibi mancipatos exerceat. Quo fit, ut potestati sacrae ad regendam Ecclesiam, ad opus ministerii atque ad aedificationem Corporis Christi divinitus institutae arbitrium et vis subrogetur terreni imperii. Contra hujusmodi sacrorum usurpationes pro jure et veritate catholica respondet

(1) Cf. Hebr. 13, 17. Eph. 4, 11. I Petr. 5, 2.

magnus Ambrosius: „Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: noli te gravare ut putes te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed esto Deo subditus. Scriptum est: quae Dei, Deo; quae Caesaris, Caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiae“ (1).

Quod vero ad ipsas leges attinet, quibus memorata *Motivorum* expositio praefigitur, licet eae speciem aliquam moderationis praeseferre fortasse videantur, si cum novissimis Borussicis legibus comparentur, re tamen vera ejusdem rationis et indolis sunt, eamdemque Catholicae Ecclesiae in Austriaca ditione parant perniciem.

Nolumus singula earumdem legum capita prosequi; verum silentio praeterire nullo modo possumus gravissimam injuriam, quae ipsa harum legum propositione infertur Nobis ipsis et huic Apostolicae Sedi, nec minus vobis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, ac toti populo Catholico istius Imperii. Conventio nimirum inter Nos et serenissimum Imperatorem anno 1855 inita, ac ab eodem catholico principe solemni sponsione munita totique Imperio instar publicae legis promulgata, nunc Imperii Comitiis declaranda proponitur tanquam omni prorsus ex parte abrogata et irrita, idque nulla cum hac Apostolica Sede tractatione praegressa, imo et justissimis Nostris expostulationibus plane contemptis. Haec profecto iis temporibus, quibus fides publica adhuc valuit, ne tentari quidem potuissent; nunc vero in hac tristissima rerum conditione et tentantur et perficiuntur. Contra hanc solemnis pacti conventi violationem coram vobis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, iterum protestamur; multo vero magis intimo animi Nostri dolore denunciamus ac reprobamus injuriam illam toti Ecclesiae illatam, dum et hujus Concordatus abrogationis et ceterarum connexarum legum causa et excusatio audacter refertur ad definitiones revelatae doctrinae ab Oecumenico Vaticano Concilio editas, atque haec ipsa catholica dogmata impie appellantur innovationes et commutationes doctrinae fidei et Constitutionis Ecclesiae catholicae (2.) Equidem si qui sunt in Austriaca ditione qui nefariis ejusmodi ommentis catholicam fidem abiiciant, eam retinet ac profitetur cum gloriosis Avis suis totaque imperiali domo augustissimus Princeps, eam retinet ac profitetur longe maxima pars populi, cui leges feruntur talibus commentis innixae.

Ita Nobis insciis et invitis rescissa conventione solemni, quam cum serenissimo Imperatore celebravimus, ut animarum saluti simul et civillis reipublicae commodis prospiceretur, nova quaedam forma juris obtenditur, et nova facultas civili Gubernio vindicatur, ut marte proprio de spiritualibus et ecclesiasticis negotiis quidquid visum fuerit, constituat utque decernat

Id eo valet, ut iis, quae modo rogantur legibus, inviolabilis ecclesiae libertas in animarum curatione, in regimine fidelium, in religiosa institutione populi et cleri ipsius, in vita ad evangelicam perfectionem exigenda, in administratione et proprietate ipsa bonorum importunis nexibus implicetur atque praepediatur; perversio inducatur catholicae disciplinae, foveatur ab Ecclesia defectio, sectarumque coalitio et conspiratio contra veram Christi fidem legum praesidio communiatur.

(1) S. Ambr. ep. 20, n. 19.
(2) Motivorum Expos. p. 25.

Magna profecto Nobis copia memorandi foret, quid et quantum malorum, si leges hujusmodi perferantur, metuendum sit; at vero prudentiam vestram, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, id neque fallere nec praeterire potest. Scilicet officia fere omnia et beneficia ecclesiastica, imo et exercitium pastoralium munerum ita civili potestati fient obnoxia, ut sacri Antistites, si novis juribus (quod absit) acquiescerent, regimen dioecesium, pro quo districte rationem Deo sunt reddituri, non amplius juxta saluberrima Ecclesiae praescripta retinere, sed ad nutum et arbitrium eorum qui reipublicae praefuerint, tractare et moderari cogerentur. Quid porro ex iis rogationibus expectandum erit, quae de agnitione religiosorum ordinum inscribuntur? Earum sane noxia vis et mens inimica tam aperta est, ut nemo non intelligat, eas ad corruptionem et perniciem religiosarum familiarum excogitatas esse et comparatas. Temporalium denique bonorum jactura, quae imminet, tanta est, ut a manifesta publicatione et direptione vix differat. Ea bona siquidem post infensas leges probatas, civile Gubernium in potestatem suam erit redacturum, sibique jus et fas esse ducet ea dividere, conferre et vectigalibus impositis sic extenuare, ut misera quae dabitur possessio et usus, non ad Ecclesiae decus, sed ad ejus ludibrium et ad velamentum injustitiae relicta haud immerito existimetur.

Quum hae sint leges de quibus in publicis Austriaci imperii comitiis disceptatur, et iis, quae demonstravimus, principiis nitantur, perspecta vobis plane sunt, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, praesentia pericula quae gregibus vigilantiae vestrae concreditis impendunt. Unitas namque et pax Ecclesiae in discrimen vocatur, illudque agitur ut ei libertas adimatur, quam S. Thomas Cantuariensis scienter dixit: „animam esse Ecclesiae, sine qua nec viget nec valet adversus eos qui quaerunt hereditate sanctuarium Dei possidere“ (1). Quam sententiam jam antea defensor alter ejusdem libertatis invictus, S. Anselmus verbis hisce explicaverat: „Nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae; qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari: liberam vult esse Deus sponsam suam, non ancillam“ (2) Quapropter pastoralem sullicitudinem vestram, et zelum quo flagratis pro domo Dei, magis magisque excitamus et incendimus, ut periculum quod instat, contendatis amovere. Magnos sumite animos, quibus dignum virtute vestra certamen obeatis. Certum namque Nobis est, nihil vos fore animis neque virtute minores iis Venerabilibus Fratribus, qui alibi inter vexationes acerbissimas pro hac ipsa libertate Ecclesiae opprobriis et tribulationibus spectaculum facti non modo rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, sed etiam in vinculis certamen sustinent passionum (3).

Ceterum non in viribus nostris sed in virtute Dei spes omnis posita est: Dei namque causa agitur, qui oraculo nunquam defecturo nos ita praemonuit et erexit: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum (4). Nos itaque, qui pro munere Nostro Apostolico in hoc bello tam vario et atroci contra Ecclesiam indicto, divina gratia

(1) S. Thom. Cantuar. ep. 75. ad Episc. Angliae.
(2) S. Anselm. Epist. 9. ad Balduinum regem.
(3) Heb. 10, 32 seq.
(4) Io. 16, 33.

infirmitatem Nostrum roborante, duces constituti sumus, ea vobis renunciamus ac spondemus, quae S. Martyr Cantuariensis verbis olim expressit huic aetati et periculo apprime congruentibus: „Causa quam contra nos exercent inimici Ecclesiae, inter ipsos ad Deum est, quia nos nihil aliud ab eis quaerimus, nisi quod Ecclesiae suae aeterno testamento pro ea in suscepta carne immortalis reliquit Deus. In fide ergo et charitate Christi exurgatis Nobiscum in auxilium Ecclesiae, et auctoritate et prudentia vobis collata occurrite hominibus, quibus nullorum successuum copia sufficit, si Ecclesia gaudet libertate. Confidimus in vobis abundantius, praesertim in causa Dei. De Nobis autem pro certo tenete, quia satius ducimus mortem incurrere temporalem, quam miserae servitutis angustias perpetuare. Nam hujus controversiae exitus trahetur ad consequentiam temporum futurorum, ut Ecclesia aut perpetuis, quod absit, aerumnis lugeat, aut perenni gaudeat libertate“ (1).

Quum autem vobis interea adnitendum sit, ut quae instant pericula, auctoritate prudentia et studiis vestris praecaveatis, nihil utilius atque opportunius fore intelligitis, quam ut collatis consiliis disquiratis ac deliberetis quaenam rationes viaeque aptiores suppetant, quo certius atque efficacius propositum finem assequamini. Dum Ecclesiae jura impetuntur, vestrum est ut adscendentes ex adverso murum opponatis pro domo Israel; solidius vero propugnaculum erit et defensio validior, quo magis concors et in unum conspirans singulorum opera et conatus erit ; et quo diligentius praevisa et constituta fuerit agendi ratio pro varia necessitate rerum quae forte ceciderint, adhibenda. Quare vos etiam atque etiam hortamur ut quamprimum conveniatis in unum, et communicatis consiliis normam constituatis certam omnibusque probatam, qua pro officii vestri ratione propulsetis unanimes mala ingruentia, et Ecclesiae libertatem fortiter tueamini. Haec ideo vos a Nobis moneri par erat, ne officio Nostro in tanta rei gravitate deesse videremur. Nam persuasum Nobis est, vos etiam citra hortationes Nostras haec ultro fuisse effecturos. Alioquin nondum spem omnem abiecimus fore ut eas quae portenduntur calamitates, alio tramite Deus avertat. Nos enim movet ad bene sperandum pietas et religio Carissimi in Christo Filii Nostri Francisci Iosephi Imperatoris et Regis, quem Nos novis litteris hodierna die ad ipsum datis enixe obsecravimus, ne unquam committere velit, ut in amplissima ditione sua inhonestae servituti tradatur Ecclesia, et catholici cives ejus imperio subjecti in summas angustias adducantur.

Quoniam vero multi adversus Ecclesiam connituntur et mora quaevis plena semper periculo est, vos minime oportet desides conquiescere. Praesit Deus consiliis vestris, et potenti praesidio suo vos adjuvet, ut quae ad decus Nominis Ejus et animarum salutem maxime pertinent constituere et perficere feliciter valeatis. In auspicium autem caelestis huius praesidii et praeciquae benevolentiae Nostrae testimonium Apostolicam Benedictionem vobis universis et singulis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, nec non Clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Martii anno Domini MDCCCLXXIV. Pontificatus Nostri vicesimoctavo.

PIUS PP. IX.

(2) S. Thom. Cant. ep. 33.

## N. 1205.

S. Congregatio Jndicis damnavit quaedam opera quorum titulus Decreto mox sequente indicatur: quod pro notitia et observatione Venerabili Clero communicamus.

# DECRETUM.

## Feria V. Die 5 Februarii 174.

*Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. Sanctaque Sede Apostolica Indicis librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 5 Februarii 1874, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.*

Die Verfassung der Kirche im Jahrhundert der Apostel. Von einem katholischen Historiker *Latine vero:* De constitutione Ecclesiae saeculo Apostolorum. Auctore historiographo catholico. — Noerdlingen 1873.

Cappelletti P. Guiseppe — Breve corso di storia di Venezia condotta sino ai nostri giorni a facile istruzione popolare etc. — Venezia 1872.

Gregorovius Ferdinand — Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter, vom 5 — tenc Jahrhundert bis zum 16 — ten Jahrhundert. *Latine vero:* Historia urbis Romae in medioaevo, a saeculo quinto usque ad saeculum decimum sextum, tom. 8. Stuttgardiae 1870, apud Cotta Bibliopolam. Opus condemnatum in Originali Germanico et in quocumque alio idiomate.

Langen Joseph — Das Vaticanische Dogma von dem Universal-Episcopat und Unfehlbarkeit des Papstes in seinem Verhältniss zum neuen Testament etc. *Latine vero*: Dogma Vaticanum de Episcopatu Universali et infallibilitate Papae relate ad Novum Testamentum etc. Part. 3. — Bonnae 1871-72-73.

Caillet Abbé — Union générale dans le clergé séculier du sacerdoce et du mariage. — Meulan 1873.

La infallibilità Pontificia e la libertà — Pensieri critici d'un filosofo pratico. -- Napoli 1873.

*Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita le-*

*gere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.*

*Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX. per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

*Datum Romae die 6. Februarii 1874.*

**ANTONIUS CARD. DE LUCA Praefectus.**

**Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.**
**S. Ind. Congreg. a Secretis.**

Loco † Sigilli.

*Die 25. Februarii 1874 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.*

Philippus Ossani Mag. Curs.

E Consistorio episcopali, Tarnoviae die 26. Martii 1874.

---

## N. 1490.

Existit lex dioecesana ex 26. Aprilis 1823. N. 478—569 id praecipiens, ut, si quis Sacerdotum a loco suae habitationis ad duos vel tres dies velit discedere, facultatem ad hoc a respectivo suo decano habere debeat; si autem ultra tres dies a parochia sese absentare vellet, ab Episcopali Consistorio licentiam ad hoc sibi expetere obligatur. Legem hanc, ut audivimus, vel ex ignorantia, vel ex vilipensione, plures malevale transgrediuntur: ideo eam pro stricta observatione hisce in memoriam revocamus. Illustres DD. Decani observationi huic sedulo invigilabunt.

Tarnovie die 26. Martii 1874.

E Consistorio Ep, Tarnoviae die 28. Martii 1874.

---

## N. 1489.

Audivimus, hinc inde abusum comitti ut Currendae Nostrae typo impressae, introgressa aliqua mutatione in Curato per mortem, sive per translationem, translatus ad aliam Ecclesiam has Currendas secum ferat, et subsecuta morte curati, succesores eas sibi vindicent. Currendae hae sunt proprietas beneficii, et non curati, curatus nonnisi usum ex illis facere potest; hinc praxim hanc hisce inhibemus, ac mandamus, ut haec documenta in publico — ecclesiasticis penes parochiam pro sempes maneant, et Illustres DD. Decani curabunt, ut mandatum hoc fideliter exequatur. Cooperatores hac lege non ligantur.

Tarnoviae die 26. Martii 1874.

E Consistorio Ep., Tarnoviae die 28. Martii 1874.

---

## N. 177.

Do niniejszej kurrendy załącza się cennik **P. Brix & Anders, c. k. nadwornego złotnika w Wiedniu,** Wielebnemu Duchowieństwu do wiadomości, i korzystania w razie potrzeby.

Z Konsystorza biskupiego, Tarnów dnia 14. stycznia 1874.

---

## N. 1331.

Pro stricta observatione injungitur P. T. Parochis, ut quilibet eorum habeat in Actis parochialibus inter alia etiam specialem Tabellam Cooperatorum ad Ecclesiam suam applicatorum, in qua (scil. Tabella) quaevis mutatio Cooperatorum, prouti: dies, mensis et annus adventus pariter ac discessas accurate notentur oportet. P. T. Decani desuper vigilem habeant oculum.

E Consistorio Episcopali, Tarnoviae, die 18. Aprilis 1874.

---

## N. 861. et 1086.

**Commendantur piis ad aram precibus animae defunctorum sacerdotum.**

A. R. **Jacobi Philippi Urbanek,** Curati in Mszana dólna, mortui 10. Martii 1874. et R. **Victoris Łubieński,** pensione provisi Capellani Castrensis, qui die 24. Februarii 1874. in Wadowice górne e vita migravit.

Pro p. m. **Jacobo Urbanek,** consodales Societatis precum unum Sacrificium Missae litare tenentur.

---

**E Consistorio Episcopali,**
**Tarnoviae die 21 Aprilis 1874.**

**JOSEPHUS ALOJSIUS,**
**Episcopus Tarnoviensis.**

Tarnoviae 1874. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis. Impensis Consistorii.